

nisi gratuitum, nullum est <sup>v)</sup>, nec in deposito licet quidquam pro custodia rei exigere <sup>x)</sup>. Sed transeamus iam ad illud sequestrationis genus, quod ita perficitur, ut onus coniunctum habeat contrariae praestationis, ideoque ad conventiones onerosas pertinet. In quo primum inspiciendum est, quid sit id, quod vi conventionis praestari sequestro debeat? Nam si merces promittitur, seu pecunia numerata ita praestanda, ut pretium quasi sit <sup>y)</sup> operae a sequestro in rem sequestrandam collocandae, non depositum <sup>z)</sup>, sed locatio et conductio contracta est, ex quo mutuo consensu, quid vltro citroque praestari debeat, certo convenit <sup>aa)</sup>. Locavit enim tunc sequester operam suam. Si vero merces non interuenerit, nec singulare nomen negotium habebit. Sed ulterius tum quaeritur: utrum ab alterutra parte, quod debet ex lege conventionis praestari, praestitum iam sit, an neutra pars quid iam praestiterit, sed solo mutuo consensu negotium constet? Quod posterius si factum est, quum causa non adsit, ex qua oriatur civilis obligatio, haec quoque contracta dici nequit, ideoque nec contractus civilis erit initus, sed, quod convenit, nuda erit pactio <sup>bb)</sup>. Quod si vero prius factum

v) c. obligatio mandati 1. §. mandatum 2. §. si in re deposita 24. D. vi bonorum rapt.  
4. D. Mandati.

x) c. vlt. D. depositi.

y) Vid. c. locatio et conductio 2. pr. D. Locati Conducti §. praeterea 2. Inst. de Locat. et conduct. licet pretium interdum dicatur pro eo, quod honorarium hodie adpellare solemus, si-  
z) Vid. c. depositum est 1. §. si quis seruum 9. D. depositi cum quo conf. c. si ut certo 5. §. nunc videndum 2. D. Commodati.

aa) c. si merces 27. pr. et c. locatio et conductio 1. D. Loc. cond.

bb) c. iuris gentium 7. §. sed quum 4. D. de pactis.